

## IV

*stianus genuinus: Peregrini in patria errores: Mythologia christiana; Ciuis christianus: Theophilus: de christiana religione sanctius colenda: Opuscula de institutione reipublicae christianaæ.* Laudat hos et alios libellos IOH. GERHARDVS MEVSCHE-NIVS im Christlichen Gedanken von der Reformation der Universitat: ten und Schulen, et quidem in praefatione. Haec et alia de b. Andreae commemorat LVDOVICVS MELCHIOR FISCHLI-NVS in *Memoria theologorum Würtenbergensium restaurata.* P. 2. p. 129. sqq. Famam optimi theologi a falsis narrationibus Godofredi Arnoldi vindicat ANDREAS DAVIDES CAROLVS in libro, quem inscripsit: Würtembergische Unschuld, cap. 9. GEORGIVS SERPILIUS in *Epitaphiis theologorum Sueuicorum.* p. 10. sqq.

V. CHRISTOPHORVS CELLARIUS, fugientium literarum elegantiorum stator diligentissimus, a Friderico, Borussorum rege, anno clo 10 exciu. ad eloquentiam atque antiquitates in Academia Halensi profitendas euocatus, cum FRIDERICO HOFFMANNO, celeberrimo medicinae professore, tum temporis Prorectore, eo rem adduxit, vt Academiae conditor *Collegium politioris doctrinae, siue elegantium meliorumque literarum in noua sua musarum sede constitueret et perpetuo seruari iuberet.* Sub cuius collegii initium *Cellarius orationem de melioribus literis restituendis* habuit. Sed, qui erat lugubris seculi eius bonarum literarum contemptus, pauci adfuerunt, qui, duce *Cellario*, ad elegantiorum musarum culturam, operam et mentem suam dirigebant. Qui dissentium contemptus collegio huic interitum peperit. (a)

VI. Vtinam laetior esset scholarum Superiorum Academicorum in primis Gymnasiorum nostra aetate facies! sed quam flebilis literarum humanitatis conspicitur in illis defectus et ne-

(a) vid. *Vita Chr. Cellarii*, quam conscripsit Ioh. Georg. Walchius et prae-  
misit Dissertationibus eius academicis p. 14.